



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

64. Jam dudum non &c. Qua depositarii, arcarii, custodes, subcustodes,
exactores, rationarii, computorum scriptores, alique officiales & ministri
æris publici & particularis, rem & pecuniam alienam, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1729.

LXIV.

Qua depositarii, arcarii, custodes, subcustodes, exactores, rationarii, computorum scriptores, alique officiales & ministri aris publici & particularis, rem & pecuniam alienam, sibi creditam & depositam, usurpantes, ac damno publico & privato fraudantes, vel usurpari & fraudari scientes, tanquam infames, ac veri fures & latrones, debitis pœnis ultimi supplicii tam in Urbe, quam in toto statu ecclesiastico, lege lata subjiciuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

I.
Alieni aris & pignorum depositarii & ministri in privatum publicum & damnum fide sibi data abutentes.

Jamdudum non sine ingenti dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac alma Urbe nostra alieni aris & pignorum depositariis, arcariis, custodibus, subcustodibus, exactoribus, rationariis & computorum scriptoribus, aliisque hujus generis officialibus & ministris, qui fide sibi data, sui que muneris commodo nefarie abutentes, ut voluptatibus, aliisque execrandis male agendi occasionebus, causisque, improbe obtemperarent, vitiiisque alacrius & liberius indulgerent, rem ac pecuniam sibi creditam & depositam, inque arca servatam, pro arbitrio usurpantes, pignora apud se custodita iterum oppigneraverint: quod non solum in Camera nostra Apostolica, sed in Montis Pietatis, & publicarum ad nummularios pertinentiam mensarum, ceterorumque locorum, & porum operum damnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames & fraudulentum hujusmodi officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis & restituendis pecuniis, quas ipsi, proprio vel alieno commodo inservientes, antea pessumdedissent, scientibus, & de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis, computorum scriptoribus, subscriptoribus aliisque earundem mensarum, & locorum piorum ministris & officialibus.

II.
Ut actionem criminalem declinent, falsos pretextus obrudunt.

Nobis etiam innotuit, jandictos officiales, maximæ suæ temeritati confisos, ut actionem criminalem vaferrime declinarent, vel saltem sua crimina callide palliarent seque justis pœnis, in quas incurrisissent, prava arte subducerent, per multos speciosos, & omnino falsos pretextus excogitasse, quibus judicium impedirent, pœnasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri, optime ipsi agnoscebant.

III.
Justum in eos iudicium pro mulgatur.

Nos propterea, quibus ex pastoralis officio, humilitati nostræ divinitus injuncto, maxime incumbit invigilare & sollicite providere, ne hujusmodi crimina impune committantur; opportunum & necessarium duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictæ particularis Congregationis nonnullorum hujus nostræ Curiae Romanæ præsulum, multa rerum cognitione, integritate & doctrina præstantium, quorum, sæpenumero coram dilecto filio nostro Hannibale Tituli sancti Clementis Presbytero Cardinali, & S. R. E. Camerario congregatorum, suffragiis ad nos accuratè perlatis, undequaque inhaerentes, in ejusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsumque juris rigorem etiam acriorem efficiendo, justum in eos iudicium promulgare decrevimus.

IV.
Juxta Constitutionem sancti Pii V. tanquam fures & latrones, ultimo supplicio puniantur.

Nos ergo vestigiis decessoris nostri Pii Papæ V. insistentes, qui præ ceteris in sua Constitutione incipiente: *Postquam*, Kalendis Novembribus anni millesimi quingentesimi septuagesimi in lucem edita, decoctores, luxuriosè viventes, propriisque absumtis substantiis, aliena appetentes, qui variis coloribus grande æs alienum,

spe restitutionis faciendæ extorquentes, proximo suo illudunt, ceu veros fures & latrones, ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostra perpetuo observanda Constitutione in quoscumque hujus generis delinquentes partibus quoque pœnis, tanquam in veros fures & latrones, animadvertendum esse decernimus, idque effectu ipso omnino fieri volumus & mandamus.

Itaque statuimus & jubemus, ne ullus ex depositariis, vel arcariis aris publici Camera nostræ Apostolicæ, & præsertim depositariæ generalis, vestigialium generalium & particularium, utriusque Annonæ, frumentariæ Urbanæ, Montisque Pietatis, ac mensæ sancti Spiritus, & Datarie Apostolicæ, summam quantalamecumque ejusmodi aris & pecuniarum in suam, vel alienum commodum quovis modo convertere unquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis, tanquam sub tuta & fideli custodia, servantur; ita ut si aliquis ex jandictis depositariis & arcariis hanc legem nostram quomodocumque prævaricatus, eandem pecuniam in usum & commodum proprium vel alienum convertere ausus fuerit, tanquam reprobis, & infidelis minister, interque infames, & rei publicæ proditores connumerandus, damnari & puniri possit ac debeat, ut gravissimi furti & latrocinii reus, secundum leges communes, & Romanæ Urbis; statique ecclesiastici edicta, contra latrones jam promulgata, ratione habita pecuniarum, quas in suam vel alienum usum & commodum clam & furtive converterit: idque ad easdem regulas in iisdem edictis etiam in furto magno præscriptas fieri debet; quotiescumque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispiam ex locis piis, ac mensis supradictis, & quilibet Dominus, ac creditor pecuniæ vel rei depositæ; damnum subisse comperitus fuerit. Ubi vero nullum damnum illatum inde fuerit; nihilominus jandicti depositarii & arcarii, inter infames habendi, ob culpam infidelitatis duplicata pœna pecuniaria summa, quam in suam vel alienum commodum converterint, puniri debeant. Sed præterea pœnis etiam corporalibus, gravibus & gravissimis, arbitrio judicum cumulate plectantur, ratione habita qualitatis & circumstantiarum singulorum casuum & factorum, quas deprehendi contigerit.

Similiter volumus, decernimus & jubemus, ne computorum & rationum scriptores Montis Pietatis, & mensæ sancti Spiritus recipere, aut recipiendum, & solvendum curare, vel facere possint quodcumque mandatum vel scriptum illorum, qui nullas pecunias re ipsa ibidem depositas, vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata & scripta recipi, & solvi possint pro ea tantum summa, quæ deposita ibidem extiterit. Quod si jandicti computorum scriptores, & rationarii contrafecerint, tunc in eos procedi possit & debeat pœnis a nobis in arcarios & depositarios statutis.

Præterea sancimus & declaramus, hæc, quæ a nobis lata lege disponuntur, in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores, & quocumque alio modo conscii, complices ac participes infidelitatis eorumdem arcariorum & depositariorum extiterint: qui quidem conscii & complices ac participes, secundum suam complicitatem & participationem in singulis factis & casibus, iisdem pœnis omnino puniri debeant, quibus puniendi essent, vel punirentur præcipue & principales rei eadem forma, quæ statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis, contra reos cooperatores, auxiliatores, complices & participes olim vulgatis.

ANNO
1729.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

LXXV.

Fff

Quia

ANNO
1729.VIII.
Poena in
computorum
scriptores &
rationarios,
in libris suis
non descri-
benter nomi-
na deposito-
rum.

Quia vero gravissimum esset crimen infidelitatis, ab iis computorum scriptoribus & rationariis commissa, qui, ut facilius pecuniam, sub bona & publica fide sibi creditam & depositam, in proprios, vel alienos usus converterent, vel curarent, ut ab aliis converti posset, sive alia quacunq; de causa, in consuetis codicibus & libris, ut scripturarum regula ab ipsis pro illorum officio bene exercendo postulat, nomen vel nomina depositorum nequaquam describerent; hac nostra pagina, perpetuum robur habitura, declaramus, decernimus & statuimus, singulos & quoscunque rationarios & computorum scriptores; qui hoc modo in suo officio exercendo peccasse, vel factum simile fraudis & infidelitatis commisisse vel committendum curasse comperti fuerint vel qui cuiuspiam nominis veritatem describendo, seu minorem summam ea, quæ verè deposita esset, tam nostræ Camere Apostolicæ, quam ulterius cuiuscunque domini & creditoris pecuniæ depositæ, in codicibus, & libris descripsissent, damno, inde sequuto, vel non sequuto, iudicari, & re ipsa puniri debeant ad regulam & gradum pœnæ pecuniariæ & corporalis, superius impositæ in factis & casibus contra depositarios & arcarios, secundum qualitatem & circumstantias eorum inflictis. Ad hæc sancimus & statuendo declaramus, factum commissionis vel omissionis, tanquam dolosum & fraudulentum, semper habendum, maloque animo & sine cogitatum, quotiescunque culpæ obnoxius contrarium non probaverit, & constare curaverit.

IX.
Poena in e-
xactores ca-
merales infi-
deles Montis
Pietatis &
sancti Spi-
ritus.

Ne autem exactores camerales, ii præcipue, qui in vectigalibus generalibus & particularibus utriusque annonæ, frumentariæ & gratiæ, inque Monte Pietatis & mensæ sancti Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactæque principalium dominorum arbitrio servandas, deponere debent, fide sibi data, sique officii commodo abuti, sive æs & pecunias exactas, perque eos non depositas, in suum vel alienum commodum convertere unquam possint, præsentium tenore districte mandamus, ut totas integre & prompte, quemadmodum ex officio tenentur, statim ac per illos exactæ fuerint, deponere debeant, decernentes, ut qui eas non deposuerint, vel in alienos usus pro arbitrio converterint, secuto inde, vel non secuto damno Camere nostræ Apostolicæ, vectigalium utriusque annonæ, frumentariæ, nimirum & gratiæ, Montis pietatis & mensæ sancti Spiritus, in singulis casibus severo iudicio iudicentur & puniantur ad legem & normam a nobis decretam & stabilitam contra depositarios, arcarios, rationarios & computorum scriptores, ut supra.

X.
Fraudes in
custodia pig-
norum factæ
quomodo pu-
endæni.

Volentes etiam pro nostris viribus impedire, ne fraudes, quæ compluries factæ fuerunt in custodia pignorum Montis Pietatis, rursus impostum fiant & committantur, præsentium tenore iubemus, custodes & subcustodes pignorum ejusdem Montis, æque ac judicialium depositariæ Urbane, æstimatorum, subæstimatorum, aliorumve ministrorum, ad servitium pii operis Montis Pietatis in memorato officio depositariæ Urbane electorum, qui fide sibi data, commo- doque, quod eis proprium munus subministrat, inique abutentes, clam & dolose pignus aliquod, etiam parvi pretii, subtraxerint, vel ex una custodia in aliam transtulerint priusquam vel postquam oppigneratum fuerit, illudque sibi usurpaverint, vel aliis tradiderint, inque alia custodia oppigneraverint, vel ejus speciem & qualitatem immutaverint, remve oppigneratam confinxerint, sive unam pro alia describentes, dolum & fucum fecerint, fraudemve quancunque, falsitatem, a-

ANNO
1729.XI.
Poena in
fraudentos
depositarios,
syndicos, ra-
tionarios &
exactores ec-
clesiarum.

liamve similem actionem circa dicta pignora commiserint, ipso facto pœnam ultimi supplicii incurtere debeant, nulla eis excusatione suffragante, etiam parvi pretii & valoris rei, in qua delictum commiserint. Iudices vero in pœna ferenda qualitate & circumstantiam facti respicient.

Decet quammaxime, ut præ oculis nostris similiter debitum sollicitudinis habeamus, quod nobis, ut in ceteris, incumbit erga opera & loca pia, quorum nobis, ut patri & tutori, custodia commissa est. Quare præsentibus nostris volumus & ordinamus, ut omnes depositarii, syndici, rationarii & exactores ecclesiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monasteriorum regularium utriusque sexus, & cuiuscunque loci & operis pii, vel congregationis, aut capituli, qui in proprio officio & ministerio exercendo, aliquam ex prædictis actionibus & fraudibus committentes, quæ damnantur & puniuntur in depositariis, arcariis, rationariis & exactoribus Camere nostræ Apostolicæ, in vectigalibus generalibus & particularibus, utriusque Annonæ, frumentariæ & gratiæ, ac Montis Pietatis, mensæ sancti Spiritus & depositaria Urbane intervenientibus, aliisve officialibus supra commemoratis, quovis modo deliquerint, omnes & singuli iisdem pœnis cum suis complicitibus omnino subjaceant, quæ in eodem depositarios, arcarios, exactores camerales, aliosque superius nominatos inflictæ fuerunt, ita ut de utriusque par iudicium feratur, iisdem modis & formis, quæ superius præscriptæ fuerunt.

XII.
Reis subter-
fugia eripiun-
tur.

Quia vero zelus justitiæ, quo intus incendimur, nos monet, ut has provisiones nostras plenissimo effectui mandandas quamprimum curemus, nos prædictis reis omnia subterfugia & prætextus eripere decrevimus, quos sæpenumero iudicium criminale sagaciter declinaturi, vel rigorem pœnarum vitaturi, studiosè conquirunt, mala & falsa quarundam regularum legalium interpretatione freti, quas suis factis pessimè aptant; propterea decernimus & ordinamus, ne ullus ex prædictis depositariis, arcariis, exactoribus, rationariis, syndicis & custodibus, aliisve ex nominatis officialibus & ministris, qui quocunque modo contrafecerint, & quancunque ex memoratis, expresse illicitis, vetitis ac criminosis actionibus commiserint, unquam possit esse vel haberi immunis, & liber ab actione criminali, & eo minus excusari in aliqua parte delicti, neque absolvi aut liberari a quacunque pœna sub prætextu cuiusvis securitatis ab eo data pro indemnitate Camere nostræ Apostolicæ Montis Pietatis, mensæ sancti Spiritus, vel alterius loci, pique operis prædictorum. Nullo pacto etiam ei possit aut debeat suffragari speciosum velamen administrationis, calculorum faciendorum, rationum non redditarum, simileque emendatæ exceptiones, & prætextus: quæ omnia frivola, levia, levissima, & nullius vis & momenti esse declaramus, tanquam dolo malo delinquentium suggesta & excogitata. Quotiescunque ergo aliquis alienam ejusmodi pecuniam in proprium vel alienum usum & commodum convertere ausus fuerit, vel ei solvendam curaverit, qui in Monte Pietatis, vel in mensæ sancti spiritus nullam antea pecuniam vere deposuerit; quive rei & pecuniæ depositæ & exactæ esse debitor deprehensus fuerit, atque impos compertus rei ablata statim & sine ulla mora restituendæ, de eo, tanquam de homine infami ac vero latrone, iudicabitur, & omnino ad dispositiones edictorum punietur, ut dictum est supra, nulla ei prædictarum, & similium dispositionum nullo pacto suffragante.

ANNO
1729.
XIII.

Pœna in ministros, pecunia exacta ufos, ac rationarios & computorum scriptores id scientes, nec patefacientes.

XIV.

Hæc Constitutio ad totum statum S.R.E. extendatur.

XV.

Hæc dispositiones locum habeant contra officiales Communitatum.

XVI.

Pœnis iisdem subiiciuntur qui fraudes olim commiserint.

Si aliquis ex supradictis ministris, officialibus, depositariis, arcariis, exactoribus, syndicis, aliisve superius nominatis debitor extiterit, inque aliquod ex delictis jam expressis incidit, aliena pecunia deposita, exacta, vel in arca servata pro arbitrio suo usus, rationario & computorum scriptore id sciente, nec præfidi, & superiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus; tunc rationarius, etiam si facti conficius non fuerit, pœnis etiam corporalibus & gravissimis, ad qualitatem & circumstantiam facti puniatur nisi clare, & evidenter ostenderit, se rem eidem præfidi, & superiori antea patefuisse.

Quia nostra intentio fuit, & est, præfenti Constitutione providendi Camera nostræ Apostolicæ atque hominum sanctæ Romanæ Ecclesiæ imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostra alma Urbe impostero fortasse eventuris, quam pro quibuscumque aliis, quæ in toto Statu Ecclesiastico, tam mediate, quam immediate nobis & huic sanctæ Sedi Apostolicæ subjecto, comprehensis etiam quatuor S.R.E. Legationibus, Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ & Urbini, evenire possint; ideo volumus & decernimus, ut hæc eadem Constitutio nostra in omnibus & singulis suis partibus & dispositionibus, inque omnibus & singulis casibus & factis, in ea comprehensis & expressis, locum, robur, vim, & vigorem habere, & plenæ executioni mandari debeat, etiam extra hanc almam Urbem nostram, in omnibus Civitatibus, & locis Status Ecclesiastici, ita ut delinquentes in iisdem quatuor Legationibus severo iudicio iudicentur secundum leges & Edicta, quibus in iisdem legibus iudicantur & puniuntur latrones, & ad normam & tenorem præfenti nostræ Constitutionis, ut decrevimus & ordinavimus supra.

Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est, ut provisiones hucusque memoratæ, inque hac alma Urbe nostra, totoque Statu Ecclesiastico vim habituræ, pro nostra Camera Apostolica, Monte Pietatis, mensis publicis, locis & operibus piis, unam eamdemque vim & robur semper obtineant, culpæque, fraudes & damna impedire debeant, quæ in præiudicium Communitatum totius Status Ecclesiastici committi possunt; hinc nos in casibus & factis congruis mandamus & ordinamus, ut omnes & singulæ dispositiones, superius expressæ, locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros & officiales cujuslibet Communitatis nostri Status Ecclesiastici, aliquam ex prædictis actionibus & delictis committentes, contra quos propterea iudicari, & procedi debeat, non auditis, neque attentis frivolis exceptionibus & prætextibus superius enumeratis; scilicet ea forma & modo, quæ contra officiales, & ministros Camerales, aliosque superius nominatos præscribuntur.

Quamvis ordinamenta & sanctiones præfentibus literis nostris hæcenus recensitas, contra delinquentes in casibus impostero eventuris promulgaverimus; non ideo tamen intendimus a debitis pœnis, iustisque animadversionibus eminare eos rationarios, computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales & ministros jam enunciatos Camera nostræ Apostolicæ, vestigialium generalium & particularium utriusque Annonæ, frumentariæ nimirum & Græciæ, Montis Pietatis, mensarum publicarum, Dataria Apostolicæ, Depositariæ Urbanae, & Communitatum Status nostri Ecclesiastici qui olim quomodocumque aliquam ex supradictis actionibus & fraudibus commisissent, de quibus facta

est mentio in omnibus & singulis casibus expressis. Volumus enim, ut iidem ob delicta olim commissæ iisdem pœnis omnino puniantur, quæ secundum leges communes vel municipales, & edicta locorum & provinciarum contra tales fraudatores & delinquentes infligæ essent.

Itaque pro omnium & singulorum præmissorum celeri & omnimoda executione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Cameraario, necnon Thesaurario generali Camera nostræ Apostolicæ, nunc & pro tempore existentibus, ut contra omnes & singulos prædictos ministros & officiales, qui aliquod ex memoratis delictis in damnum & præiudicium ejusdem Camera nostræ Apostolicæ directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquo modo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi, & perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratores rem & complicitatem aliquam habuerint, cujuscumque conditionis & qualitatis extiterint, videlicet tam sæculares, quam ecclesiasticos, & quomodolibet privilegiatos & exemptos, ad debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos Locatenentes, Judices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos & subdelegandos, procedant, procedique mandent, & juxta præfentem nostram Constitutionem, iustitia mediantem, deveniant, & deveniri faciant.

Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ gubernatori, & Curia causarum Camera Apostolicæ generali Auditori, ceterisque Urbis Judicibus, ad quos de jure spectat; quam omnibus etiam & singulis nostris, & Sedis Apostolicæ in quibuscumque provinciis, legatis, & vicelegatis, necnon quarumcumque civitatum, terrarum, oppidorum & locorum, nobis & eidem Sedi, tam mediate, quam immediate subjectorum, gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis & aliis quibuscumque iudicibus, quavis etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præfentes nostras inviolabiliter in suis iudiciis observent, necnon contra delinquentes prædictos, suæ jurisdictioni subjectos ad formam earundem præfentium omnino procedant, omniaque in eisdem literis contenta plenariæ executioni demandent.

Postremo decernimus, has literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus comprehendendi, vel illis derogari ullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio & expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris, & momenti fore, & tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse: atque ita per quoscumque iudices tam ordinarios, quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & de latere legatos, iudicari & definiti debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate; decernentes irritum & inane quicquid secus in præmissis, & quolibet præmissorum atque hac nostra Constitutione contentorum & statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis, & Romanæ curiæ tribunalium, aliarumque curiarum nostri ecclesiastici status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, styliis & consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præ-

ANNO
1729.

XVII.

Harum executioni iungitur S. R. E. Cardinali Cameraario & Thesaurario.

XVIII.

Hæc constitutio inviolabiliter observetur in Urbe & in toto statu S. R. E.

XIX.

Præfentes ab omnibus perpetuo observandæ, non obstantibus quibuscumque.

ANNO
1729.

lentes improbamus, nullasque & invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialibus, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita, observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum praesentium, illisque alias in suo robore permanens, harum serie specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

XX.
Hae literae quando obligare incipiant.

Volumus autem, ut elapsis tribus respectu dicte nostrae Urbis, & quindecim diebus respectu totius praedicti nostri status ecclesiastici, postquam praesentes valvis Ecclesiae Lateranensis, & Basilicae Principis Apostolorum ejusdem Urbis, & in Acie campi Flora per aliquem ex nostris Curatoribus affixa & publicata fuerint, omnes & singulos, tam in Urbe, quam in toto statu ecclesiastico & legationibus existentes, perinde obligent & ardeant, ac si unicuique eorum personaliter & nominatim intimata fuissent, utque earum transmissis, etiam impressis manu notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus si exhibita vel ostensa essent, adhiberetur.

XXI.
Nemo hanc paginam infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, sanctionis, legis,

statuti, decreti, declarationis, dispositionis & iussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vicesimo nono, VI. Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus
Subdatarius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in in Camera Apostolica.

Antonius Cajetanus Frosius R. C. A. Secretarius.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vicesimo nono Indictione septima, die vero tertia Octobris; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri BENEDICTI divina providentia Papa XIII. anno sexto, supradicte litterae Apostolicae affixae & publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Lateranensis, Principis Apostolorum, & sanctae Mariae Majoris de Urbe, & in Acie campi Flora, ac aliis locis solitis & consuetis per me Antonium Placentinum S.S. D.N. Papae Curis.

Antonius Pelliccia Mag. Curis.

F I N I S.

Rerum, & Materialium INDICEM huicce Tomo perinde ac praecedentibus, apponere praetemporis angustia non licuit, nec suo tamen lector iure defraudabitur; illum enim Indicem addituros nos spondemus ad calcem Tomi XI. cujus editioni navamus Operam, dum omissas Bullas undique colligimus.